



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Quaestio 3. De fide explicite habenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

QVAESTIO II.

De articulis fidei, & eorum distinctione.

SUMMARIUM

- 1 Duo speramus in caelo videre, & quae,
- 2 Credibilium prima distinctio.
- 3 Tria de Deo nobis proponuntur credenda.
- 4 Articuli ad diuinitatem spectantes.
- 5 Septem articuli de Christi humanitate.
- 6 Altera articulorum partitio.

SECUNDA † quaestio est. Fidei articuli quot sunt, & quomodo, & qualiter distincti sunt?

Ad hanc respondemus iuxta mentem S. Thomae. 2. 2. q. 1. art. 8. quod quia fides est sperandum rerum, argumentum non apparetur, ut dicit Apostolus ad Heb. 11. illa per se pertinent ad fidem de quibus speramus habere in vita aeterna claram & perfectam visionem.

1 Duo autem speramus in aeterna patria reuelata facie videre, scilicet essentia diuinitatis, cuius visio nos beatos facit, & mysterium humanitatis Christi, per quem etiam ad gloriam filiorum Dei accessum habemus, ut dicitur ad Rom. 5. Vnde dicitur Io. 17. Hec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

2 Et ideo prima distinctio credibilium est, quod quaedam pertinent ad maiestatem deitatis, quaeque vero pertinent ad mysterium humanitatis Christi, quod est pietatis sacramentum, ut dicitur I. ad Timoth. 4.

3 Circa maiestatem autem diuinitatis, tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem unitas diuinitatis, & ad hoc pertinet primus articulus. Et quia nomen diuinitatis importat omnipotentiam, omnem scientiam, ac prouidentiam, ideo credere de Deo ea, quae pertinent ad eius omnipotentiam, scientiam, & prouidentiam sub primo isto fidei articulo concluditur.

4 Secundo trinitas personarum, & de hoc sunt articuli secundum tres personas. Tertio vero proponuntur nobis opera diuinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturae, & sic proponitur nobis articulus creationis. Secundum vero pertinet ad esse gratiae, & sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam. Et quia sacramenta praesertim Eucharistiae, Penitentiae, & Baptismi sunt instituta a Christo ad sanctificandam humanam mentem, ideo credere de Ecclesiae sacramentis, prout credit sancta Romana Ecclesia, sub isto fidei articulo continetur. Tertium vero pertinet ad esse gloriae, & sic ponitur alius articulus de resurrectione carnis, & de vita aeterna, & ita sunt septem articuli ad diuinitatem pertinentes.

5 Similiter etiam circa humanitatem Christi, ponuntur septem articuli, quorum primus est de Incarnatione, siue de conceptione Christi. Secun-

A dus de Natiuitate eius ex virgine. Tertius de Passionem eius, & morte, & sepultura. Quartus de descensu ad inferos. Quintus de resurrectione. Sextus de Ascensione, Septimus de Aduentu ad iudicium: & sic sunt in uniuerso xiiij.

6 Quidam tamen distinguunt duodecim articulos fidei, sex pertinentes ad diuinitatem, & sex ad humanitatem. Tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub vno, quia eadem est cognitio omnium personarum. Articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duobus, scilicet in resurrectione carnis, & gloriam animae. Similiter articulum conceptionis, & natiuitatis coniungunt in vnum.

QVAESTIO III.

De Fide explicite habenda.

SUMMARIUM.

- 1 Obiectum fidei per se quid sit.
- 2 Quae secundo loco ad fidem pertineant.
- 3 Articuli fidei explicite credendi.
- 4 Credibilia secundi ordinis quando explicite credere oporteat.

TERTIA quaestio est. Vtrum, ad explicite credendum articulos fidei, quilibet teneatur?

Ad hanc respondemus iuxta mentem S. Thomae. 2. 2. q. 2. art. 5.

1 Quod fidei obiectum per se est illud, per quod homo beatus efficitur, ut supra dictum est.

2 Per accidens autem, vel secundario se habent ad obiectum fidei omnia illa, quae in scriptura Dei diuinitus tradita continentur, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod David fuit filius Isai, & alia huiusmodi.

3 Quantum ad prima igitur credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem.

4 Quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in preparatione animi, in quantum paratus est credere quicquid in diuina scriptura continetur. Sed tunc solum huiusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei consiterit in doctrina fidei contineri.

COMMENT. XX.

Vtrum ad explicite credendum articulos fidei quilibet teneatur. *Explicit* credere hoc loco accipere debemus, id est, aperte, clares, singulariter, & non in confuso credere, siue distincte & specialiter, ut ait Archidiaconus in ecclesiae nones. 15. dist. na, explicare, unde explicite dicitur, est proprie est extendere, & quae extenduntur, perfectius videntur. Sensus ergo quaestionis hic est: An quilibet fidelis obligetur clare et aperte scire fidei articulos, ita ut sciat hunc esse articulum fidei, quoties de ea re fuerit interrogatus, et in summa conclusionem.

† De hac materia vide beatum Thomam opusculo 23. super e. Firmiter. quod supra est imprefsum ad hoc fidei in summa de fide Catholica. §. quot & qui articuli.

† al. ascensum

† al. diuinitatis.

† Tract. 10. a. 1. & li. 2. q. 1. & 2. & 3.

concludit hic Eymericus ex sancto Thoma, quemlibet obligari ad credendum explicite fidei articulos. reliqua vero, quae in sacris litteris continentur, explicite credere non est ad salutem necessarium. quae quomodo sint accipienda, in sequentibus declarat manifestius. Nam de materia huius quaestionis copiose disserunt theologi cum Magistro, lib. 3. sent. dist. 25. & iterum Eymericus infra in hac eadem parte, quaestio. 12.

b Quantum ad prima igitur credibilia, quae sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere. Haec autem prima credibilia in Symbolo continentur: propterea enim Symbolum diuinitus conditum fuit ut paulo antea dicebamus, ut fideles summa religionis capita, quae necessario credere debent, in promptu haberent breui sermone comprehensa.

An sit necessarium memoriter teneri fidei articulos.

Occurrit tamen hic pulchra difficultas, quam sepe vidimus a religiosis Episcopis inquiri: An sit necessarium, quod memoriter quilibet fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, articulos fidei tenere debeat. Et quamuis multa in hac quaestione dici possint, nos Conciliorum & sanctorum Patrum doctrinam nitentes, certiora & securiora trademus. Ac primum quidem absque controuersia videtur dicendum, hos memoriter esse retinendos; nam qui legem non recordatur, facile peccat in legem: in his autem peccare, est a recto veritatis tramite deficere; quare ut beatitudinem consequamur, memoria haec fidei fundamenta retinere debemus. Multae sunt aliae rationes, quibus idem persuadetur efficaciter; sed nos iam probata testimonia proferamus. In concilio Forouulensi sub Carolo & Pipino, postquam singuli fidei articuli recitati sunt, ita legitur. Hanc igitur catholicam fidei sincerissimam puritatem volumus omnes Dei sacerdotes, omnesque gradus Ecclesiae summo cum studio, & absque villo vitio, ita ut ne vnus quidem apex intermittatur, vel augeatur, distincte & sensatim discendo memoria retinere. & paulo post. Symbolum vero & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis

C nis aetas, omnis sexus, omnisque conditio, masculi, feminae, iuuenes, senes, serui, liberi, pueri, coniu-gati, inuptaque; puellae: quia sine hac benedictione nullus poterit in caelorum regno percipere portionem. haec tenus ibi. Item in concilio Moguntiaco Caroli Magni tempore celebrato. c. 45. ita scriptum extat: Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere semper admo-neant sacerdotes populum Christianum. Volumusque ut disciplinam condignam habeant qui haec discere negligunt, siue in ieiunio, siue in alia castigatione emendentur; propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, siue ad monasteria, siue foras presbyteris, ut fidem catholicam recte discant, & orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non poterit, vel in sua lingua haec discat. haec ibi, & in synodo Rheimensi sub Carolo Magno anno Domini 813. celebrata. c. 2. ita scriptum legitur: Ut orationem, quam Dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare docuit, verbis disceret, & sensu bene intelligeret: quia illam ignorare nulli Christiano licet. Burchardus lib. 2. decret. c. 62. & 63.

D duo de re hac refert decreta omnino videnda, quae gratia breuitatis omittito, eadem recenset Iuo parte 6. c. 158. & 159. & Isidorus lib. 2. de officijs. cap. 11. refertque; Iuo par. 1. de baptis. c. 88. aut Competentibus salutare Symbolum traditur quasi comonitorium fidei, sanctae confessionis iudicium, quo instructi agnoscant, quales iam ad gratiam Christi exhibere se debeant. & beatus Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos. c. 1. Accipere filij regulam fidei, quod Symbolum dicitur, & cum acceperitis, in corde scribite, & quotidie dicite apud vos, antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit, sed ad recensendum, ne forte delectat obliuio quod tradidit diligetia, sit vobis codex vestra memoria: quod auditum est, hoc creditur, & quod crediderit, hoc etiam lingua reddatur. haec ille, & refert Iuo par. 1. c. 89. In eadem sententiam multa eiusmodi adduci potuissent, de quibus latius alij.

Ex his apparet in quanto periculo versentur, qui articulos fidei memoriter nesciunt: pauca sunt & facilia haec praeccepta, nemo dicat se non praestare memoria. non haec scribimus, ut cuiquam terrorem incutiamus, sed ut torporem excutiamus ab illis, qui contrarium sentire videntur, cum eos actualiter non ediscant. Episcopis haec cura incumbit, ut singuli fideles haec noscant, caueant ne propterea Dominus in illa die animas subditorum de manu illorum requirat, neque hoc dicimus, ut quemquam reprehendamus, quod vitium a nobis procul abest, sed ut Dei gloriam quaramus, ad quam omnes viri Christiani actiones dirigi debent.

Atque ex his, quae hac quaestione tradit Eymericus, fiet manifestum, vere esse errorem quem attulit idem Eymericus par. 2. q. 10. vers. octaua haereticum videto.

Q V A E S T I O IIII.

De notitia Articulorum fidei fidelibus necessaria cum minoribus, tum maioribus.

S V M M A R I V M.

- 1 Explicatio credendorum per diuinam fit releuationem.
- 2 Superiorum est inferiores docere.
- 3 Praelati & maiores plura scire tenentur, quam alij.
- 4 Laicis & rudioribus quam scire sufficiat.
- 5 Simpliciores quando de subtilitatibus fidei interrogandi.
- 6 Errantes per simplicitatem quando excusentur.

Q V A R T A quaestio est. Vtrum ad habendam fidem explicitam de articulis fidei omnes aequaliter teneantur?

I Ad hanc autem respondemus iuxta mentem S. Thomae secunda. 2. quaest. 2. art. 6. quod explicatio credendorum fit per reuelationem